

**Dissertatio inauguralis philosophico-medica, de vestitus vitiis morborum
causis ... / [Caspar Gottlieb Schlegelmilch].**

Contributors

Schlegelmilch, Caspar Gottlieb.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1729]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fp2aesjj>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

14
DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOSOPHICO - MEDICA,
DE

VESTITUS VITIIS MORBORUM CAUSIS,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.
NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DN. DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXIX. D. NOVEMB.

Publicæ ac placide eruditorum ventilationi subjeciet

AUCTOR RESPONDENS

Gaspar Gottlieb Schlegelmilch,

SAGANO-SILESIUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PH.D. MEDICINAE

VESTITUS VITI MORBORUM CAUSIS

AUSPICE DEO FRUITO
IN ALMA REGIA BEROLINENSIS
P. 1848

ON D. MICHAEL ALBERT

DE DECANO ET SECTATISSIMO
DOMINO

PRO LICENTIA

AD EXERCITIUM MEDICINAE

IN REGIA BEROLINENSIS

UNIVERSITATE

SECTIO SEPTIMA

DE CAUSIS MORBORUM



Q. D. B. V.



Multos, eosque non leves morbos, qui genus humanum infestant, fundamentum ac causam suam habere in excessu earum rerum, quæ a summo Numine ad fragile corpus conservandum conditæ sunt, tam nota apud medicos res est, ut copiosis id confirmare argumentis supervacaneum esse ducamus. Quis enim v.g. nescit, a cibo & potu, quos benignissimus Creator ad corporis sustentationem hominibus concessit, plures generari morbos, si ultra modum & necessitatem præcipue luxuriose assumantur? aut si quoad quantitatem & qualitatem minus recte usurpantur. Hæc est ratio, cur homines, quibus sub levi casa, tenuis est mensa, curtaque suppellex, præiis, quibus omnibus abundant, minus infestentur morbis, quin prorsus interdum ab iis vivant immunes.

nes. Non fert autem instituti nostri ratio, ut earum rerum omnium, quarum abusus morborum infelix existit mater, mentionem faciamus, sed considerabimus tantum, quasnam morborum segetes faciat luxuria illa, quam in *Vestitu* ambitiosum genus mortalium exhibet. Cum enim ad regendam hominis nuditatem ac conservandam ab aëris externi injuriis corporis dispositionem a Sapientissimo Conditore datae sint vestes, initio hæc fuere simplicissimæ: sed quam longissime ab hoc scopo discesserit genus humanum, a quo tempore luxuries atque ambitio incrementa ceperunt, experientia loquitur quotidiana. Vix adhuc in amplissimis Naturæ regnis reperiuntur subjecta, quæ non ad vestes parandas arte reddantur idonea: & non enumerandi amplius sunt modi, quibus corpori applicantur vestes: Galli præcipue omnes alias nationes in talibus evehendis vanitatibus superant ac antecellunt: & sic v. g. vestibus ex lintheamentis paratis minus contenti, ex papyro etiam illas parare non erubuerunt, de cujusmodi vestitu legatur *dissertatio a Flachsiö anno 1718. Lipsiæ habita, de vestitu e papyro in Gallia nuper introducto &c.* Eleganter fane de hac materia scripsere *Acta Vratislaviensia Tent. III. pag. 841.* Quæ verba, cum lectu sint dignissima, ea hic excerpere non alienum videtur; illa autem sic se habent: Ein Kleid ist eine weiche Decke der Blöße, und ein Schirm wider äußerliche Unfälle: die Nothdurfft des Leibes kann ein Busch von Laube, oder das Fell eines Thieres befriedigen. Und das waren die Kleider derer Alten, die

die

diese Nutzung aus der Observation und vernünftigen Beurtheilung erlernen hatten. Denn eine Pflanze decket ihren Stamm durch die Blätter wider das Brennen der Sonnen: und ein Thier verwahret sich wider die Kälte der Luft durch sein Fell. Diese waren im Alterthum vollkommen zulänglich, die Empfindung des Leibes zu soulagen, und das Gemüth in der vergnüglichen Ruhe zu erhalten. Doch als sich die Schwäche des Leibes zur zärtlichen Empfindlichkeit, die ratiocination zu allerhand experimentis; und der simple Gebrauch zur Mode neigte: so ward die alte simplicität zur Last, und die ruhige Zufriedenheit zur schändlichen Prahlerey. Alsdenn musste die armseelige Pflanze ihr Eingewende, das einfältige Thier seine Wolle, und endlich das Ungeziefer seinen Roth-förmigen Überfluß nicht zur Noth, sondern zur Verschwendung darreichen. Alsdenn hörte die wahre Absicht der Kleider auf, und die Schwäche des Leibes kam unter die Herrschaft der Hoffarth und Mode &c. Et sic revera hodiernus vestiendi modus scopo vero vestitus minime respondet; sed peccat omnino in luxuria. Quanta vero inde in genus humanum resultent damna, quanta detrimenta, id est, quod in hac dissertatione inaugurali ostendere nobis proposuimus. Annuat cœptis nostris Divinum Numen, ac cuncta secundum sanctissimam suam voluntatem dirigat.

§. I.

DE *vestitus* itaque *vitiis morborum causis* verba facturi, prius quædam de ipsa vestimentorum ratione in medium proferemus, adeo ut originem, causasque amictus indagemus paululum ac perlustremus: deinde vero considerabimus, quomodo morbi inde suos sumant natales, aliaque notatu digniora pro viribus pensitabimus.

§. II.

Ad primum quod attinet dissertationis membrum, originem nempe vestimentorum, neminem latere posse existimamus, ea a DEO, rerum omnium Sapientissimo Moderatore, homini post lapsum facta esse atque injecta, sicuti id clare satis elucescit ex *Genes. Cap. 3. v. 21.* Scilicet quod homo in statu integritatis constitutus, nudus inces-
serit; id omnino tanquam signum perfectionum, quas & mens & corpus ejus possedit, agnoscimus; suffulti præcipue verbis divinis, quæ *Genes. Cap. 2. v. 25.* exstant, & sic se habent: *Et erant ambo nudi, homo & ejus femina & minime pudore adfsciebantur.* At enim pudor non ad adfectus animi pertinet? Adfectus vero animi testimonia de ejus imperfectione præbent luculentissima. Quum autem Protoplastorum in integritatis statu viventium animus nullis sane adfectibus ac cupiditatibus fuerit commaculatus, non habuere etiam rationem, cur pudore suffunderentur. Præterea alias imperfectiones corpori humano per lapsum accessisse, vero est simillimum. Unde facile colligi potest, homini nondum lapso vestimenta non fuisse necessaria, quoniam illæ nondum aderant imperfectiones, quibus tegendis destinatæ sunt vestes.

§. III.

§. III.

Verum postquam malitiosus ille serpens matrem nostram Evam, per eamque parentem Adamum ad edendum de arbore vetita inclinaverat; lapsus est totusque mutatus homo, mens corrupta, animus infirmus, corpus fragile fiebant. Hinc pudor animum irrepsit, tanquam pathema, ac morbus animi. Huic morbo ipsius hominis corrupta phantasia medelam adferre conabatur; sibi que integumenta ex ficuum foliis parabat. Ecce primam vestimentorum occasionem! Cujus cum rationem quaerit iudex, vindexque severus nefandi facti; Adamus producit pudorem, quia erat nudus. Indulsiit alium Numen, illumque defectum, quem corpus incurrerat, palliari patitur: ipse facit vestes ex pellibus. Hinc natae vestes; imperfecti jam hominis verum signum atque indicium.

§. IV.

Ex hac vestimentorum origine facile quoque patefcunt illorum causae. Etenim pro differentia essentialium partium hominis, quarum duas animum nimirum & corpus duntaxat admittimus, duas quoque causas vestium esse facile potest demonstrari, quarum prima ex animi corruptione petenda: altera ex corporis infirmitate est desumenda.

§. V.

Ad primam quod attinet, ea iterum duplex est, nempe partim, ut morbo illi animi, quo pudorem jam habebant, palliativa quaedam daretur medela; partim ut cupiditatibus, quae animum jam conspurcaverant, aliquod injiceretur frenum. Adeo enim depravatus, ac descenda-

tus fuit, ut pudore adficeretur, si proprium contempla-
batur corpus: puduit illum impuri sui corporis. Hic
morbus, ut quadantenus palliaretur, pellibus Adamus
investiebatur. Altera causa cupiditates videlicet, quæ
post lapsum homini erant quasi essentielles, non minus re-
quirebant frenum aliquod, cui vestes commode inservi-
ebant. Quales enim ex rudi hominis aspectu, non di-
cam in Adamo, sed posteris illius concupiscentiæ, afortiæ,
crimina, scelera enata fuissent, ex perversis mortalium
moribus facile licet conjicere. Quod si enim in eo, quo
jam vivimus statu, ubi vestimentorum usus in plerisque
fere nationibus est receptus; ac partes illæ, quæ solo suo
adspectu naturalem hominem in libidinem rapere valent,
tectæ sunt; nihilominus tanta scelera patrantur, ut nefan-
dum plane ac non satis demirandum sit, quomodo homo
adeo inflammari, ac hac flamma obcæcari queat, ut sui
quoque generis obliviscatur: quanto scelestiora ac fre-
quentiora audirentur crimina, si illæ partes, quæ tectæ
sunt, nudæ ferirent oculos. Illustrant corroborantque
hanc thesin illæ gentes barbaræ, quæ nescio an ex vin-
dicta Divini Numinis nudo incedant corpore: harum e-
nim pleræque inexplebili libidine agitari dicuntur, testan-
tibus id variis itinerariis.

§. VI.

Altera vestimentorum causa physica est, & corpus re-
spicit; sicuti prior moralis erat, animamque respiciebat.
Hinc intuitu hujus causæ eum in finem datæ sunt vestes,
ut corpori humano jam post lapsum infirmo, instar pro-
pugnaculi sint, ad arcendas aëris externi injurias, ac jussui
divino, quo homini in sudore faciei sub labore panis
eden-

edendus est, ministrarent, cum facile sudores ex labore orti, homini morbum excitare potuissent, si vestibis non fuisset tectus. Hominem in statu integritatis adhuc viventem, mortem nunquam fuisse expertum, ex sacro codice demonstrari potest: hinc vero non sine fundamento colligere licet, & animam & corpus in integerrimo ac omnis defectus experti statu fuisse. Anima quod fuerit præstantior ac excellentior, non est ut multis demonstrare annitamur, siquidem satis id demonstratum putamus, si legimus: animam fuisse secundum divinam imaginem. Hoc vero posito, quid dubitamus corpus etiam fuisse perfectius atque nobilius? Potuitne anima nobilior, perfectior, excellentior, ignobilius habere domicilium? minime: qualis enim anima, talem sibi fabricat corpus. Præterea hoc corroborat & sequens momentum. Quum post lapsum terra & quæcunque in ea sunt pari ratione corrupta sit, atque temperies illius naturalis in extrema quæcunque pervenerit: necesse omnino erat, ut corpus contra quaslibet offensas & injurias tegumento quodam muniretur; hinc datæ sunt vestes.

§. VII.

Qua ratione etiam aër externus corpori nostro vim inferre, illudque destruere valeat, ex ipsius mixtione ac constitutione patescit. Mixtio enim nostra non solum fluidarum, sed & solidarum partium, adeo est constituta, ut nisi continuo agerentur motu, in corruptionem ac putredinem abirent, quam ocysime; hinc dati motus vitales. Sed & sub his massam sanguineam continuo motu ad vasorum latera adpellentibus, ipse sic dictus balsamus vitalis in perniciosissimum convertitur

B

humo-

humorem, ferum nempe excrementitium: quod si mixtioni nostræ maneret innexum, illum destrueret certe: (quod, qui morborum a retentis excretionibus meminert, facile concedet) hinc poroso nostro corpori datæ sunt se- & excretiones. Inter has principalem ferme locum tenet transpiratio insensibilis, qua id, quod corpori nostro insensum est, expellitur. Quanta vero ex hujus diapnœs impeditiōe œconomiae animali accedant detrimenta, clare demonstrat experientia. Verum quid potentius hanc transpirationem seu diapnœm valet reprimere, quam aër frigidus, aut alia ratione extraordinarius? Hoc ne fiat, necessarium fuit corpus hoc fragile vestibus muniri ac circumdari. Interim non negamus, hanc difficultatem a consuetudine facile superatum iri: quare hanc causam in respectu ad eas, quas §. V. allegavimus, pro secunda tantum habemus; respectum tamen ad hodiernum hominum vestitorum statum habito, eam ad primarias ac arduas vestimentorum causas referimus: siquidem homo sine vestimentis jam aërem ferre non posset. Et firmo sic stat talo, vestes lapsi hominis esse indicium.

§. VIII.

Quod si igitur vestimenta secundum hasce instruerentur causas, non solum fini divino fieret satis; sed etiam multi præcaverentur morbi. Verum quis gerit vestes pro pudore tegendo? Quis corporis sui nuditatem palliare intendit? Proh dolor! multi, multæque vestibus potius eo utuntur, ut nuditas miserandi sui corporis magis adpareat. Non equidem sapientis est, receptum vestiendi modum in diversis nationibus rejicere

ac pro suo lubitu vestes instruere velle, sed eo respiciendum est a viro prudente, ut vitia vestitus fugiat strenue: non solum quoniam summi Numinis fini adversum est atque contrarium, sed præterea etiam gravissimorum morborum infausta existit genitrix. Id quod ulterius probandum.

§. IX.

Ad alterum itaque nostræ dissertationis progredimur membrum, nempe ut vitia vestitus multorum morborum causas esse ostendamus. Fundamentum ac ratio hujus asserti §. VII. legi potest: jam illud medica experientia ulterius declarabimus. Per vitia autem vestitus intelligimus illum vestimenta parandi modum, quo vel excessu, vel defectu peccatur: pleræque enim vestes ita sunt comparatæ, ut vel corpus nimium tegendo in excessu, vel partes quasdam, jure tegendas, liberas relinquendo in defectu peccent. Utriusque extremi origo, falsis innititur respectibus; sed progrediamur ad ipsos morbos inde enascentes.

§. X.

Et si primo intuitu infantilem contemplamur ætatem: quænam quæso ætas contra aëris injurias magis vestimentis opus habet, quam infantilis? Fœtus septimo jam mense vitalis, ac ex omnibus partibus perfectus esset homo, adeoque eodem mense excluderetur, ni divina providentia ob mixtionem adhuc teneriorem, aërem minus perferentem, terminum partus adhuc ad duos dilataisset menses. Hinc illius phænomeni, quod embryo novem geratur menses, cum jam septimo perfectus esset, non alia ex parte existit ratio, quam ut firrior

fiat mixtio ad aërem subeundum : sed & tunc vix aërem posset sustinere, nisi optime muniretur integumentis: hæc si negligentiori cura adhiberentur, quanta non damna inde perferre deberet miser infans.

§. XI.

Cum enim transpiratio insensibilis apud ejusmodi tenellulos non nisi calore integumentorum obtineri potest; quippe alia ratione eam promovere minus adhuc apti sunt: ex his negligenter adhibitis, omnes illi oriuntur morbi, quos a transpiratione repressa oriri praxis ostendit medica. Jure illos dividimus in catarrhales, cutaneos, febriles, & convulsivos. Si enim negligentior sit vestitus; excrementitii seri exitus aëre prohibetur, ac remanet intra teneriora viscera. Hoc ut expellatur quatuor modis utitur natura paullo ante dictis. Vel enim catarrhi oriuntur; hinc tussis, coryzæ, pectoris oppressiones, aurium ac oculorum manationes, quam quæso ætatem violentius ac frequentius adfligunt quam infantilem? Vel vigilans Natura sordes restitantes ad corporis peripheriam ejicit: inde cutanei adfectus infantibus frequentius sunt familiares, quorum innumeræ dantur species, quas singulas allegare nimis foret prolixum. Vel si talis materia ob constrictam adhuc peripheriam ejici nequit, adeoque sensibiles in tenellulo corpore producit stimulationes; diris spasmodicis ac convulsivis motibus illam foris eliminari Natura annititur. Hinc si indices mortuorum (quæ laudando quodam instituto in quibusdam urbibus parantur) intuemur; reperimus, infantes convulsionibus trucidatos maximum explere numerum: sicuti de hac re passim legi ac conferri merentur

tur *Acta Medicorum Berolinensium*. Tandem quarta Classis restat, qua ejusmodi suppressum serum per febri-les motus a Natura ejici intenditur. Interim constans Practicorum est observatio, rarius hac via incedere Na-turam infantium, & frequentius potius laborare con-vulsionibus. Causam hujus eruere instituti nostri non est: interim belle eam describit *Experientiss. Dn. D. Gobli-us in Actis Medicorum Berolinensium Decad. 2. Vol. 7. pag. 54.*

§. XII.

Inter vestimentorum infantilem ætatem ambientium genera morbis præ aliis occasionem præbent illa vesti-menta compressoria, quæ *Schnürbrüste* vocantur. Hæc eum in finem a singulis fere infantibus gestantur, ut de-biles eorum vertebrae in erecto ac regulari retineantur si-tu, quippe quæ obligamentorum laxitatem facillime e sua sede dimoventur, totumque sæpius corpus deformi figura ac constitutione molestant. Hinc ante omnes a-lios morbos ex hujus vestimenti incongrua adplicatione præcipua se nobis offert molesta illa excrescentia dorsi, seu subluxatio vertebrarum, quam vulgo vocant *das Brustwadsen*. Infantibus hic morbus quasi proprius est, & nisi ab internis causis, v. g. statu atrophico &c. oriatur, externæ sane causæ suos debet natales. Et talem ab ex-terna causâ excrescentiam prohibere partim, partim præ-cavere debent vestimenta compressoria; sed hæc ipsa in-terdum causæ sunt hujus morbi. Aut enim laxè nimis adplicantur, adeoque fini suo plane non respondent; aut nimia compressione corpus infestant. Et ipsa hæc com-pressio excrescentiam hanc provocare valet: nimis arcta

enim hac compressione tenelluli quasi in vincula con-
 jecti, angustis adeo includuntur, ut has tolerare nolentes
 se moveant, corpus huc illucque trahant ac retrahant,
 donec ex ea jectigatione vertebræ quædam e suo dimo-
 ventur loco; quarum luxatio, si non statim advertitur,
 in gibberem facile excrescit molestissimum: quod si et-
 iam laxius & negligentius infantes pectore obfirmentur,
 facile vertebrarum dorsalium subluxationes experiuntur,
 unde ex parte Rhachitici affectus originem capiunt: sic-
 ut vicissim si nimis arcte pectore comprimuntur, mox
 asthmatici, & ex pulmonum concretionem cum pleura
 phthisici evadunt; id quod sæpius observare licet in in-
 fantibus e celso stemmate provenientiibus.

§. XIII.

Pueri & adolescentes si collum angustius stringunt,
 ob impeditum progressum sanguinis per caput, collum
 & pectus, cephalalgicis, ophthalmicis, vertiginosis, ano-
 malis hæmorrhagicis, anginicis, scrophulosis, panstidicis,
 asthmaticis, hæmoptycis, phthisicis, peripnevmoniis
 &c. affectibus subjiciuntur, quales numerosos casus D.D.
 Præses observavit in masculis: sicut contra sequior sexus
 nimium caput & collum nudando, ob liberum aëris ac-
 cessum & afflatum intensioribus Cephalalgis, otalgis,
 catarrhis &c. submittuntur.

§. XIV.

Qualia ex ambizioso vestimentorum compressorio-
 rum genere (die Schnürbrüste) etiam in adultioribus
 feminis damna ac sanitatis detrimenta redundant; infra bi-
 nis verbis attingemus. Jam vero illius damni adhuc menti-
 onem faciemus, quod in infantibus extractibus illis, qui
 vesti-

vestibus, die Überwürffe dictis, ex stolidā sane ratione adhærent (die Schleppen) sæpius oboritur. Quum enim infantes interdum incedere vix valentes ac inter eundem titubantes pedibus illis tractibus innectuntur, facile labuntur, eoque lapsu vel præsentaneam externam aut internam, sæpius exitiosam valde, noxam sibi acquirunt innocentes, vel internum aliquod occultum occurrunt damnum, quod post longum demum temporis seise exierit intervallum.

§. XV.

Non percurremus alios vestium infantilium modos, ex quibus hi tenelli ansam adipiscuntur, morbos incurrendi: meminerim tantum paucis adhuc verbis, quomodo hi miseri ex nimia etiam cumulatione vestituum, jam in cunis adfliguntur. Ita enim sæpius ab imprudentibus obstetricibus includuntur ac fere incuneantur stragulis, ut præ nimio sudore ac angustia fere suffocentur. Quod cum non dicam Practicis, quam etiam prudentibus familias matribus, notum sit quam notissimum, non est ut in eo simus prolixiores.

§. XVI.

Considerabimus jam alias ætates ex vestimentorum vitiis in morbos incurrentes: & in hac consideratione, si dicendum quod res est, audacter asseverare possumus, infantilem præ aliis ejusmodi morbis esse obnoxiam. Interim aliæ ætates minime sunt excludendæ; quoniam negligentior usus vestimentorum sæpius efficit, ut morbos nanciscantur ex transpiratione repressa: præcipue id contingit tempestate humida, humido-frigida, inconstante. Hinc pari ratione, ut in infantibus, primo catarrhi simplices,

plices, deinde cum motu febrili complicati, ut febres evadant catarrhales, pro circumstantiarum ratione plus minus periculosis stipatae symptomatibus: hinc diarrhææ; & quid frequentius præcipue congruo tempore, quam dysenteria; quas ex sola fructuum horpæorum ingestione derivare velle, attenta experientia jam refutavit: hinc spasmi truculenti, hinc convulsiones atrocissimæ, adeo ut nunquam mirum videatur, ac plane fascino attribuat, si interdum ex improvise, homini ceterum sano truculentissimi motus convulsivi occurrant; qui vero causis rite investigatis ex negligentiori amictu, indeque oboriente refrigeratione deducendi sunt. Ejusmodi casus passim occurrunt Practicis attentioribus, causas morborum non superficialiter inquirentibus; quales & hic recenseri possent, nisi arcti dissertationis limites id vetarent.

§. XVII.

Si unius præ altera ætate ad morbos ex vestimentorum vitiis oriundos dispositionem attendemus: inveniemus præter dictam infantilem, seniore facilius corripi ejusmodi morboſis adſiſſionibus. In infantili, causa, uti dictum est, consistit in corporis structura teneriore, ac ferendarum externi aëris injuriarum minus idonea: in senili ex deficiente magis magisque energia vitali res est deducenda: sic enim motus humorum redditur tardior ac languidior; tonus fit debilis, enervatus; & hinc secretiones impeditiori procedunt successu. Hinc senes etiam, uti omnium facillime ex vestimentorum negligentiori cura morbos incurrunt: ita omnium ætatum
ma.

maxime necessaria habent integumenta, ceu fœtus corporis jam rigidioris.

§. XVIII.

Sed si porro differentiam dispositionis ad morbos ex hac causa in respectu ad diversum sexum habito, respiciemus: jure dicere poterimus, feminas præ viris facilius hujusmodi infestari morbis. Uti enim in genere de fœminarum prærogativa ad morbos præ viris, *Hippocrates* jam de feminis prædicavit, quod bis patiantur morbum: ita in specie etiam experientia docet, quod ex hac speciali morborum causa, vestitu nimirum, majorem ad morbos habeant prærogativam. Annotavit id jam *Dn. D. Præses in Fundam. Patbol. Medic. pag. 115. §. LVII.* Causa hujus asserti duplex esse videtur: quarum altera nimia teneritudo ac sensibilitas, qua hic sexus virilem longe superat, existit. Hæc efficit, ut causæ morborum antecedentes ac procatharticae facillime in ipsum actum morbosum deducantur. Verum enim vero cum amictus inter occasionales morborum causas omni jure locum mereatur: in aprico est, feminas ex hac causa facilius infestari morbis, quam sexus virilis. Altera causa in ipsa vestimentorum muliebrium indole est quærenda. Quis enim quæso sexus majorem luxuriam, & insigniorem pompam in vestibus prodit, atque ostendit, quam femineus? Certe si consuetudini non tanta vis & efficacia esset adscribenda, non foret mirum, quin ex hac solum causa, quotidie ægrotarent feminae, & quid inter alia vestimentorum femininorum connexa, asserculus ille, quem Galli *Planchette* vocant, damni inferat, erudite demonstravit *Franckenau Satyr. Med. duodecima conf. D. D. Præsidis Lexici realis Pars I.*

§. XIX.

Percurremus vero breviter humani corporis partes & videbimus; quomodo illæ plerumque a feminis tectæ sint: tunc asserti superioris veritatem mox perspicimus. Caput præ ceteris partibus levissime tectum, imo sæpius nudum adparet. Caput vero in respectu ad alias partes semper abundat sanguine: qui partibus capitis sic nudo aëri expositis facillime in tardiores motum ac stagnationem conjicitur; hanc vero stagnationem excipiunt plures Congestiones, Spasmi, Dolores, Inflammationes; hinc conqueruntur de Cephalalgiiis, Odontalgiiis, Ophthalmiis, Otalgiiis, aliisque fonticis capitis adfectibus, ut supra notavimus; & interrogatæ unde proveniant hi adfectus, respondent: *Sie hätten sich erkältet* &c. Progrediamur vero ad pectus; hoc duplici modo exponunt morbosæ afflictionibus. In superna parte omnia sunt nuda, ventisque exposita; in inferiori omnia comprimuntur, vestimentis illis compressoriis, quæ vulgo dicunt *die Schnürleiber*. His omnia pectoris ac abdominis viscera arctissime comprimuntur ac coarctantur, ut progressus sanguinis liberiore circuitu ac successu gaudere nequeat: hinc partim redditur spissus accedente imprimis superiorum regionum denudatione ac consequente refrigeratione, humores ad interiora reprimente: partim contingit restrictio ad superiora & præcipue ad caput. O quam fonticæ ex hoc fundamento calamitates! Quam dolorosæ ac molestæ afflictiones in sexum hunc teneriorem redundant! Sanguis spissior redditus, ac viscera vasaque compressa, liberas tum reliquorum humorum excretiones, tum præcipue sanguinis impediunt: hinc præcipue mensium anomalie, imminu-

minutiones, quin & plenariæ suppressiones pressio pede sequuntur. Hinc viscerum in hypochondriis latitantium obstructions, morbi hepatis & splenis, ventriculi variæ afflictiones, uteri infarctus &c. &c. Quam multorum vero malorum mensium ataxia infelix existat mater; non solum omnibus praxin medicam exercentibus notissimum est, sed etiam a multis viris celeberrimis, præcipue vero ab ipso *Illustr. Dn. D. Stablio* ac *Dn. D. Præfide* peculiaribus Scriptis ac Dissertationibus publicæ luci est expositum. Causa præcipue existit hæc mensium ataxia, ut plurimum virgines vestimentis hisce abutentes (die enge geschnürten Frauenzimmer) pallidum semper ac chloroticum faciei aspectum præ se ferant, nec unquam vivido colore, anxie tamen ab iis exoptato, potiri queant ac gaudere. Fundamentum porro in hac arcta corporis compressione quærendum est, cur ejusmodi virgines in conviviis ac publicis conventibus inter optima gaudia lipothymiis ac anxietatibus corripiantur; quæ statim cessant, simulac arcta hæc vincula reserantur: So bald sie aufgeschnürt werden, kommen sie wieder zu sich. Nulla alia harum Lipothymiarum causa existit, quam sanguinis inter convivia per calidiora alimenta exagitati repressio ac coacervatio intra caput; hinc si spatium iterum huic sanguini per totum corpus libere circulandi conceditur; cessant hæc particulares congestiones, ac natura in pristinum redit vigorem. Toto die talia occurrunt exempla; ambitiosa vero mortalium indoles non permittit, ut hæc exempla aliis sint exemplo. Sed progrediamur ad inferiores extremitates. Harum refrigeratio sæpius per negligentiolem vestitus adplicationem inducitur; hanc excipit regurgitatio sanguinis ad supe-

riora , aut stagnatio in ipsis pedibus; hinc cedematosi eorum tumores oriuntur, in multis valde augentes flatulentiae, cardialgiae, vertiginosae, cephalalgicae afflictiones oriuntur. Tandem si & ipsos calceos intueamur, & horum figura ac justo arctior adplicatio molestos illos pedum clavos inducere valent.

§. XX.

Inter femininum sexum porro praë aliis ex vestitus vitiis morbos experiuntur facilius atque frequentius gravidæ, puerperæ ac lactantes, quippe quæ aliis magis sensibiliores existunt. Præcipue vero gravidæ, quæ secundum effatum divi Senis *Hippocratis* tanquam graviter vulneratae sunt considerandæ, caveant sibi a vitiis vestitus; quippe quæ omnium facillime morbis ac incommodis inde adficiuntur.

§. XXI.

Ex his igitur hætenus dictis videndum est, hominem ipsum morborum, quos patitur, plurimorum, quin sæpius ipsius mortis causam existere, illosque facile ab ipso vitari posse, si dona ea, quæ summus rerum Conditor mortalibus ad usum eorum largitus est, eo usurparentur sine, quo a summo Numine sunt data.

§. XXII.

Sed multo sane frequentiores ex amictus vitiis in mortales redundarent morbi; nisi consuetudini tanta vis esset ac efficacia, ut ea causa, quæ ex necessitate physico-mechanica morbos procreare debuisset, in adfuetis molestiam nullam nedum morbum excitare queat. Est vero consuetudo nihil aliud quam prompta dispositio animæ ac corporis, qua rem aliquam, licet alias difficillimam, ex longo usu ac repetito exercitio facillime peragere, ac
eas

cas causas, atque res, quæ aliis incommoda nonnunquam plane morbosa ac fontica inducere valent, absque ullo damno aut incommodo perferre potest. Hujus efficacia, si ulla in re, certe in vestimentorum consideratione videntenda est admiranda.

§. XXIII.

Sic innumera occurrunt exempla, ubi partes quædam a quibusdam sine ullo periculo damni alicujus inde consequuturi nudæ semper relinquuntur; quæ ab aliis minus adfuetis, si non semper tectæ vestibisque probe munitæ fuerint, statim morbosa post se trahunt incommoda. Hinc v. g. quidam semper nudo incedunt capite, nec ullum ei integumentum imponi patiuntur, sine ullo consequente damno aut incommodo: cum alii si paululum tantum caput suum denudaverint, acerbissimos inde dolores ac afflictiones mox persentiscant. Hoc contingit circa omnes fere corporis humani partes, quas adfueti semper nudas sine noxis; alii nisi morbos velint incurrere semper vestibis habent tectas. Hoc uberius evolvere, ac exemplis illustrare non necessum judicamus, quippe exempla cuilibet toto die sese offerunt. Instar omnium admirandum nobis præbent exemplum homines illi, qui in hac civitate sæli communi excoquendo inserviunt, Gallorum dicti, quorum amictus ac totum vitæ genus ab ordinariis modis multum recedit; quum illi tamen vivant maxime sani atque incolumes.

§. XXIV.

Sed satis jam verborum est pro nostro instituto; imponemus Colophonem nostræ dissertationi inaugurali. Et quamvis thema hoc uberius exponi ac explicari potuisset, id tamen leges dissertationis non permisere. In-

terim rogamus Benevolum Lectorem, velit hunc laborem, ceu primum studiorum nostrorum specimen benigne interpretari; etiamsi Eruditorum palato delicato minus fuerit accommodatus. Ceterum DEO T. O. M. gratias pro viribus nobis concessis devota mente offerimus, ac rogamus, velit hæc, quæ scripta sunt, in sui gloriam ac proximi emolumentum dirigere: id quod dissertationis nostræ unicus est

F I N I S.

S O E rufft Dich; Säume nicht; Befördre Deine
Reise,

Aus diesem Theil der Welt nach einem andern hin;
Doch nimm erst heute noch die Frucht von Deinem Fleiße,
Vor Dein gelehrt Bemühn, die Ehre zum Gewinn.
Der reiche Seegens Gott der wolle Dich begleiten,
Und seines Geistes Kraft zu Deinem Thun verleihn;
So wirst Du mehrentheils der Kranckheit Macht bestreiten,
Und auch in Asien vergnügt und ruhig seyn.

Aus treueræbner Freundschafts Pflicht schrieb
und wünschte dieses

M. Justus Israel Beyer.

G Ratulor hanc laurum, FAUTOR, quam jure reportas:
Porro adsit studiis, Jova benigne, Tuis.

J. M. Starcklof,

Gothano-Thuringus, Med. Cult.

A Ssiduis studiis lauri neciuntur opimæ,
Præmia virtutum: Gratulor ergo TIBI.

Hiscæ memoriam sui Nobiliss. Domino Respondenti commendare debuit

Samuel Schaarschmidt,

Tericensis Altracanus, Med. Cult.

Wien

Wer Anruft Dich, Werther Freund, nach Indien gen Osten,

Du gehst, und läßt Dir diß nicht viele Sorgen kosten;
Warum? Dein Sinn hat stets auf Gottes Rath gesehn,
Drum glaubst Du, daß auch diß nach seinem Winck geschehn.
Der wird nun Deine Brust für Bliß und Donner schirmen,
Wenn Wellen, Sturm u. Stuth, auf Raft, auf Seegel stürmen,
So bleibst Du dennoch stets in froher Sicherheit,
Weil Gott selbst mit Dir ist/der Wind und Meer gebeut.
Drum gratulir' ich Dir, auch zu den neuen Ehren,
Die Deinem Wiß und Fleiß die Mäsen jetzt gewehren,
Der Höchste wolle selbst in allen Deinem Thun
Mit seiner Segens-Hand auf Deinem Scheitel ruhn,
Und wie in Indien man schon vor vielen Jahren
Des Höchsten Gütigkeit im Geistlichen erfahren:
So werde nun forthin, auch was den Leib betrifft,
Dasselbst durch deinen Rath viel Gutes angestiftet.
Nur bitt' ich, wollst Du mir in Deinem Ungedencken,
Hochwerthgeschätzter Freund, ein kleines Plätzgen schencke,
Ich werde iederzeit ohn' allen falschen Schein
Ein Dir bis in das Grab ergebener Diener seyn.

L. S. Richter.

Non studium mercede caret, sua præmia virtus
Præstans in proprio gaudet habere sinu.
Hoc Dominus noster SCHLEGELMILCH optime monstrat,
Qui medica nunquam deses in arte fuit.
Ad Claros Doctosque viros Hic impiger ibat;
Haic gratum libros voluere semper opus.
Pro meritis nunc Ille gradum Doctoris adeptus:
Hinc animus noster gaudia multa capit.
Consiliis Medicis ut nunc benedicat Jova,
Pectoris ex imo, Suavis Amice, precor.
Insuper exopto, Dominus Te porro gubernet,
Ad Malabaros ut bene vergat iter.

Ita Nobiliss. Dn. Doctorando Amico suo integerrimo applaudebat

Joannes Jacobus Lerche, Med. Cult.

Quid

Q Vid, quæso, vestes? splendida rudera
 Primi pudoris. Nos miserabili
 Num gloriemur nuditate,
 Dedecus in proprium superbi?
 Tractas inanem mirifico sale,
 Vir docte, luxum, qui variabilis
 Effœminati corpus æui
 Vestibus obruerat nociuis.
 Cum laude laurus porrigitur Tuæ,
 Vir Clare, fronti: quam Tibi gratulor,
 Et gratulabuntur remoti
 Verba precantia Malabari.
 Navis sinistra non eat alite:
 Sint gratiores semper ibi dies!
 I lætus, olim gloriosus
 Ad patrias rediturus oras.

*Hisce Clarissimo nec non Doctissimo Domino Candidato, Fautori
 & Amico suo æstumatissimo, eximium eruditionis specimen ac
 capienda laborum præmia gratulari, & felicem tum propo-
 ti itineris, tum futuræ praxeos medicæ successum ex animo
 adprecare voluit, debuit*

J. F. Muller, Neostad. Wurtemb. Med. Stud.

Sonner.

S Er seine Hoffnung und Vertrauen
 Auf Gottes weise Führung gründt,
 Laßt sich auch in der Noth nicht grauen;
 Wenn andre gleich voll Unruh sind:
 Gott kan ihm Glück und Ehre bauen,
 Wår die Vernunft auch noch so blind,
 So muß sie dessen Finger schauen,
 Wo sie so reiche Proben findt.
 Was disfalls neulich erst geschehen,
 Darauf hieß Deine Hand mich sehen,
 Als meine Dir mein Stammbuch reicht:
 Ist muß ich Dir selbst gratuliren.
 Da eben diß bey Dir erreicht.
 Gott laß Dich ferner gnädig spüren!

*Sic orat & optat ex animo nunquam nonimposterum
 huic DEI nutui confisuro & obsecundaturo T.T.*

J. D. G.

